



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput XV. Posse Ecclesiasticis legibus præscribi actus etiam internos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

pluris ſane faciendam, quam morbus unius, cenſeo non eſſe permittendum, ut egrediatur è clauſtro; quod expedit tamen, ſi epidemia aut peſtilentia laboret, aut cauſa alia interſit ex enarratis in Cap. *Periculoſo*, de ſtatu Regularium, & in Bulla Pii V. quæ incipit, *Decori, & honeſtati*. Iſtud tamen aſſertioni noſtræ nequaquam opponitur. cum fateamur privatam cuiusque vitam cedere honori, ac bono Communitatis.

14. PROPOSITIO III. Non poteſt Legislator operi, quod tam in ſe inſpectum, quam attentis rerum circumſtantiis leve eſt, parvique momenti, adnectere obligationem ſub pœna mortalis culpæ.

Probatur. Hoc aſſertum inter Scholaſticos commune eſt; ac ſatis ex eo liquet, quod humanæ leges ab æterna derivatæ debeant ipſi conformari. Lex autem æterna præſcribit inter transgreſſionem ac pœnam debitæ æquitatis comparationem: neque enim juſtiſſimus Judex Deus Opt. Max. leviſſimo furto, aut officioſo mendacio, aut prolato per jocum verbo, aut operi conſimili veniali reddit ſempiternæ damnationis ſupplicium. Quod ſi Princeps capitali pœna minimam proximo illatam injuriam puniret; quis eum Tyrannum potius, quam civitatis rectorem non appellaret? quanta inde non provenirent plebis incommoda, ac terribiſſimæ frequentiſſimæque hominum cædes, atque inde, inſidiarum, ac turbulentiæ ſeditionis fomentum? At longe

his grave peccatum, & conſequens gehennæ ſupplicium deterius eſt. Ergo iſtud transgreſſioni leviſſimæ reſpondere non debet: quin & Jurisconſultis cautum eſt, ne alicui præter neceſſitatem grave onus imponant, ne ſeſe ſubjiciant Domini exprobationi; qua Matth. xxiii. v. 4. novimus vellicari leges Phariſæorum.

Fieri tamen poteſt, ut res per ſe levis, ob loci, temporis, ac perſonarum adjuncta, gravis ſit reputanda. In exemplo ſit facta primis parentibus præſcriptio, ne certæ arboris fructus attingerent: quam legem attentata hominis conditione, & præſtanda Cratori obedientia, opus non exigui momenti, quod fuiſſet alias pertenuis, conſtat inhibuiſſe. Dictum de hac lege lib. xii. cap. 12. prop. 1. Ad hunc modum ſe habent quædam Superiorum noſtrorum præcepta, quæ tametsi videantur aliquando pertenuem circa materiam verſari, conſiderata regularis obſervantiæ neceſſitate, atque intenti finis excellentia, poſſunt nos gravi obligatione conſtringere. Si pariter in parva quoque materia fregeris Quadrageſimale jejunium, aut feria ſexta vel ſabbato carnem guſtaveris, quoniam ſunt hæc Apoſtolica Traditionis capita, & Romanæ Communionis ab hæreticorum ſectis divulſæ ſingularis character, ſcleri obnoxius eris graviſſimo. Atque his nullo adhibito ſtudio objecta quæque repelles.

15. Poteſt res levis fieri gravis ex circumſtantiis.

CAPUT XV.

Poſſe Eccleſiaſticis legibus præſcribi actus etiam internos.

S U M M A R I U M.

1. Aliud eſt directe, & indirecte præcipere.
2. Actus internus indirecte præcipi poteſt.
3. An Actus interni per ſe, directe præcipi poſſint.

4. 5. & 6. Probatur Propoſitio.
7. 8. 9. & 10. Solvuntur Objectiones.

Aliud eſt directe, & indirecte præcipere.

ALIUD eſt, juxta verborum ſignificationem, aliquid *directe* præcipere, aliud vero, *indirecte*. Indirecte præcipitur, quod alterius cauſa jubetur, propterea quod absque illius adminiculo, aut omnino fieri non poteſt, aut ſaltem non fit bene, atque, ut oportet; ita lex præſcribens E. G. contractuum obligationem, præcipit quoque aſſenſum liberum voluntatis, ſine quo haberi non poteſt duorum, vel plurium conventus ac ſtipulatio: & præceptum horas canonicas perſolvendi, mandat quoque *indirecte* etiam attentionem ac devotionem, ſine quibus fruſtuoſa ac

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

perutilis eſſe nequit oratio. At *directe* illud præcipitur, quod per ſe, & absque conſideratione alterius proponitur obſervandum, E. G. opus, quod ipſa lege declaratur eſſe complendum; ut intereſſe ſacro, ſervare jejunium, tributum ſolvere, atque his conſimilia.

Præcipi autem humana, & præſertim Eccleſiaſtica lege actum interiore *indirecte*, certum eſt, neque Doctores re ipſa diſſentiant. Enimvero in Conc. Later. iv. cap. *Dolentes*, præcipitur, ut Divinum Officium recitetur *ſtudioſe pariter, & devote*: atque in Clem. de Celebr. Miſſ. *ut hora legantur in puritate*

2. Actus internus indirecte præcipi poſſe.

tate conscientiae, & animi devotione. S. P. Augustinus in Reg. cap. 2. mandat, ut dum oramus ad Dominum, *hoc versetur in corde, quod profertur in ore.* Et D. Bernardus Serm. 41. de diversis, *Ex voluntate (inquit) suscipienda sunt imperia Prælatorum, & ipsum cor à suis voluntariis reflexionibus abducendum,* Quibus accedit manifesta ratio. Voluntas quippe legislatoris hæc est, *ut faciat homines bonos,* auctore in 1. Eth. cap. 14. Philos. idque amplius de legislatore Ecclesiastico asserendum est, qui non mandat opera inutilia, & Pharisaico more externis tantum officiis patrata, optime sciens istiusmodi à Domino Is. cap. xxix. 13. & Matth. xv. 8. repudiari. Saltem ergo *indirecte* præcipi ab Ecclesia animi intentionem, ac pium voluntatis affectum satis apparet ex Decretalibus, ex Patribus, atque ex ipso fine legislatoris.

3. *An actus interni per se, directe præcipi possint.* Controversia itaque eo deducitur, ut inquiratur tantum, num legibus Ecclesiasticis interiores actus præscribi valeant per se, directe, & tanquam proprium ipsarum legum substratum. In qua controversia etsi Doctores quamplurimi negativam partem tutantur, atque oppositis argumentis quodammodo satisfaciunt reponendo his tantum probari Ecclesiam præcipere actus internos indirecte, ne videlicet exteriores aut irriti sint, aut perversi: est nihilominus sententia, quam dirigendis moribus filiorum Ecclesiae magis commodam arbitramur, interiorem quoque actum cadere ratione sui sub ejusdem Ecclesiae præcepto. Quam sententiam propugnant Romanus Aegidius, Vanroy, Guerreo, Piette, alique Nostrates, nec non complures ex exteris, ut Lacroix, Cardenas, Habertus, & alii, quos commemorare non vacat. Sitigitur

4. *Propositio.* PROPOSITIO: Potest Ecclesia interiorem quoque actum per se, ac directe præcipere.

Probat ex legibus. Quatuor argumentorum capita proferam: primum ex legibus jam latis depromptum; alterum ex Ecclesiastica Historia: tertium ex Augustino; postremum ex ratione. Ac primum ita se habet: Ecclesia in actus internos, etiam ab omni externo opere sejunctos, suam exercet jurisdictionem, non solum eos dirigendo ut recte fiant, sed etiam puniendo si noverit iniquos ac pravos. Pollet ergo auctoritate illos directe præcipiendi. Comprobant antecedens Clementina 1. de statu Monach. juxta quam

excommunicationem incurrit Monachus conferens se ad Curiam animo accusandi Prælatum. Clement. 2. parag. *Verum,* qua eadem poena inuritur Quæstoribus Fidei, qui pravâ intentione vel odio contra justitiam & conscientiam se ignaviter gerunt. Etiam dist. xxx. cap. 8. *Si quis.* dicitur anathema iis, qui jejunia Ecclesiae contemnunt superba Eustathianorum superstitione, id est, opinantes in sua conscientia se esse perfectos. Ad hæc Sess. ultima Concilii Constant. mandat Martinus V. nuntiari singulis diebus Dominicis & singulis festis tanquam Excommunicatos, non solum qui palam professi fuerint hæreses Wicleff, & Hufz, verum etiam qui pro defunctis hæresiarcho oraverint, aut illos sanctos esse crediderint, aut existimaverint legitime non fuisse damnatos: idque, etiam si ipsorum duntaxat confessione interna hæresis innotescat. Damnarunt quoque Alex. VII. & Innoc. XI. opinionem quorundam affirmantium satisfieri præcepto Ecclesiae per sacrilegam Communionem. Inter impia asserta Michaëlis de Molinos, & in processu vernacula lingua lecto Romæ die 3. Sept. an. 1687. hæc connumerantur. 1. *A' Superiori si dee ubbidire nell' esteriore; e la latitudine del voto della Ubbidienza, de' Religiosi arriva solamente all' esteriore.* 2. *E' degna di riso una nuova dottrina nella Chiesa di Dio, che l'anima in ordine all' interno si dee governare per il Vescovo; perchè nè la sacra Scrittura, nè Concili, nè Canon, nè Bolle, nè Santi, nè Autori l'hanno mai detta, nè la possono dire, perchè Ecclesia non giudica de occultis.* 3. *Il dire, che si dee manifestare il suo interno al Tribunale esteriore de' Superiori, è ch'è peccato il non farlo, questo è un'inganno manifesto, perchè Ecclesia non giudica de occultis.* In his autem, quamquam primario damnatur abominabilis contemptus erga sanctissimum Tribunal sacrae Inquisitionis, quem inducere moliebatur vir Belial; videtur etiam supponi fallax illorum opinio, qui tenent Ecclesiae præcepta ideo ad interiores actus non se extendere, eoquod ipsa non potest judicare de occultis. Itaque ex Ecclesiasticis definitionibus compertum est, Ecclesiam etiam internam hæresim excommunicatione ferire, in superstitionem, atque in animo latentem iniquitatem animadvertere, & id faciendi agnoscere in Episcopis & Pastoribus auctoritatem.

Ex

5. Probatur ex
Historia Ec-
clesiaſtica.

Ex Eccleſiaſtica Hiſtoria ſingulare exemplum eſt, quod narrat Hermias Sozomenus lib. vi. cap. 28. de S. Presbytero Eulogio, *Quem ferunt, cum rem Divinam faceret, accedentium cogitationes usque adeo prænoviſſe, ut delicta eorum certiſſime argueret, & quæ ſinguli penitus in mente recondita habebant, perciperet. Eos igitur qui mali quidpiam perpetraveſſent, aut patrare decreviſſent, aliquamdiu arcebat ab altari delicta eorum in apertum proferens: poſtea vero penitentia purgatos ad myſteria admittebat.* Vide Sozom. ex Interpret. Valeſii pag. 679.

6. Probatur ex
S. Auguſtino & ratio-
ne.

Sanctus autem Auguſtinus de Moribus Eccl. Cath. cap. 30. ita Eccleſiam ipſam compellat: *Merito Eccleſia Catholica mater Chriſtianorum veriſſima non ſolum ipſum Deum, cujus adoptio vita eſt beatiffima, puriſſime atque caſtiſſime colendum prædicas: ſed etiam proximi dilectionem atque charitatem ita complecteris, ut variorum morborum, quibus pro peccatis ſuis animæ agrotant, omnis apud te medicina præpolleat. Tu pueriliter pueros, fortiter juvenes, quiete ſenes, prout cujuſque non corporis tantum, ſed & animi ætas eſt, exerces, & doces. Tu faminas viſis ſuis non ad explendam libidinem, ſed ad propagandam prolem, & ad rei familiaris ſocietatem caſta, & ſideli obedientia ſubjicis. Tu viros conjugibus non ad illudendum imbecilliores ſexum, ſed ſinceri amoris legibus præficiſ, &c.* Atque ita per omnia filiorum Eccleſiæ genera gravi oratione deſcendit. Ex quibus videor mihi haud inepte ratiocinari: Si Eccleſia eſt mater fidelium, quos ſpiritualiter parit, quomodo in eorundem ſpiritum tamen latentem atque occultum directam ferendi leges juridiſctionem non habet? Si viſibilibus ſacramentis illos parturit, & impoſitione manuum cæterisque ſenſibilibus ſignis animam nutrit, ſanctificat, exornat inviſibili gratia, eccur per ſe lege verbis externis prolata non poteſt interiores actus præſcribere? Ipſius intereſt morbis animorum mederi; & cur non poteſt directe imponere actus humilitatis, orationem, quam dicunt *mentalem*, actus fidei & charitatis, quæ videntur opportuniora contra ſuperbiam, torporem, diffidentiam, variasque tentationes remedia? Viris faminas ſubjicit caſta & ſideli obedientia, feminis autem viros præſcit legibus ſinceri amoris; quænam eſt autem obedientia caſta, & amor ſincerus, niſi intimo ex corde procedens? Hæc denique mater docet filios quibus honorem, quibus affectum,

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

quibus reverentiam, quibus conſolationem, quibus diſciplinam, quibus obſurgationem, quibus denique ſupplicium exhibere debeant; ut ſancta illorum diſlectio in incendium conſurgat, & Deo, qui ignis conſumens eſt, uniantur; ut docet ibidem S. Doctor. Sua ergo reſert filiis præcipere quæcunque ipſos dirigant in hunc finem: inter quæ interni actus omni procul dubio principem habent locum. Atque ex his ratio theologica quarto loco ponenda jam ſponte, ſuaque natura profluxit.

REFELLUNTUR CONTRARIA ARGUMENTA.

Moventur autem adverſarii argumentationibus iſtiusmodi. Inquiunt 1. Ec-
clesia non judicat de occultis, ut habetur in Cap. *Sicut tuis*, de Simonia: & Seſſ. 24. cap. 1. Trid. Reſpondetur hanc propoſitionem diſtinguendam: Eccleſia non judicat de occultis, quantum ad vim directivam; nego: quantum ad vim coactivam, ſubdiſtinguo, defectu poſteſtatis, nego: defectu cognitionis, concedo. Et ſpectare quidem ad Eccleſiam, Rectoresque animarum internos actus dirigere pluribus argumentis probatum eſt: illos etiam Eccleſiaſticis legibus cohiberi, ſi ad Eccleſiæ notiſiam perveniant, producta facta commonſtrant. Tridentinum quoque Concilium citata Seſſ. 24. ſententiam noſtram confirmat. Loquens enim de malo ex clandestinis conjugii non ſemel oborto, ac præſertim de ſtatu damnationis illorum, qui priore uxore cum qua clam contraxerant relictæ, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo vivunt adulterio, inquit, *Cui malo cum ab Eccleſia, quæ de occultis non judicat, ſuccurri non poſſit, niſi efficacius aliquod remedium adhibeatur, &c.* Ex quibus habes munus eſſe Eccleſiæ etiam occultis adhibere remedium, atque prædicti proloqui ſenſum eſſe, quod Eccleſia nequit ferre ſententiam, & punire peccata *probatione ceſſante*, ut habetur Can. *Chriſtiana*, Cauſa 32. q. 5. Imo Tridentina Synodus clandestinos contractus, de quibus ait Eccleſiam judicare non poſſe, declarat irritos & annullat, cum tamen neque naturali neque Divino jure fuerint prohibiti. Quare etiam de occultis univerſali lege proferat ſententiam; etiamſi judicare non poſſit de hoc vel illo in particulari, niſi notiſiam habeat aut per teſtes, aut per confeſſionem delinquentium. Atque ex his aliam habes reſponſionem, Eccleſiam videlicet lege generali & uni-

7. Obſervatur &
ſolvitur.

versali actus internos præscribere aut prohibere, tamen nequeat hunc, aut illum punire, nisi sciat præscriptiones suas violasse. Quare pronunciatum illud, *Ecclesia non iudicat de occultis*, non de præscriptione legis accipiendum est, sed de individua prolatione sententiæ.

8.
Solvitur au-
toritas D.
Thomæ.

Habes hinc quid reponas ad auctoritatem D. Thomæ scribentis 1. 2. q. 91. art. 4. *De his potest homo legem ferre, de quibus potest iudicare*: atque iudicium hominis esse non potest de interioribus motibus qui latent, sed solum de exterioribus actibus qui apparent. Dicimus enim Doctorem Angelicum loqui de vi coactiva, ut colligitur ex verbis sequentibus: *Et ideo lex humana non potuit cohibere, & ordinare sufficienter interiores actus*; aut accipiendum esse de lege non juxta universalem ipsius præscriptionem, sed juxta sententiam in individuo prolatam. Potest enim E. G. Pontifex prohibere ne eadem Missa applicetur pro duobus stipendiis, ut prohibuit Urbanus VIII. atque hæc inhibito versatur circa applicationem, quæ est actus interior. At hunc numero Sacerdotem consimili applicatione sacrum fecisse Ecclesia ignorat, ideoque in ipsum debita punitione minime animadvertit. Exemplum huic similia paulo supra produximus.

9.
Obiectio 2.
cum Solu-
tione.

Arguunt ulterius: De Pœnit. dist. 1. cap. *Cogitationis*, habetur, *Cogitationis penam nemo patitur*. Quem canonem de sola humana lege accipiendum, res per se loquitur. Resp. sensum Canonis esse, neminem puniri sententia iudicis, ob cognitionem internam, quæ nullo modo probari potest. Nam si ex-

teriori indicio interior malitia innoscatur, etiam cogitationis penam patitur iniquus, ut de eo qui armarium aperuit, nec asportare potuit, aut segetum, quas secuerit, partem duntaxat furripuit; explicat ibidem Glossa. Spectat præterea Canon citatus ad jus Civile, non ad Canonicum; ut constat ex Canone 20. ejusdem dist. *Cogitatio non meretur penam lege civili, cum suis terminis contenta est*. Audio quid arguaris. Lex civilis, inquis, internum actum non præcipit: ergo neque Ecclesiastica. Sed tene latissimam disparitatem. Lex civilis ad temporalem politiam, atque ad externum regimen directæ est, Ecclesiastica ad animarum quoque salutem & ad spiritalem concordiam, ad quam per se, & directe refertur. Deinde in legibus civilibus quædam sunt, quæ suapte natura effectum sortiuntur tantummodo posito externo actu, ut contractus, matrimonium, venditio, locatio: quædam verò, quæ effectum intentant, ut maleficia: unde sequitur citato canone 20. *Discernuntur tamen à maleficiis ea, quæ de jure effectum desiderant: in his enim non nisi animi iudicium consideratur*. Hujus generis leges etiam in interiores actus ferri possunt.

Insuper objectant: Ecclesia cum sit visibilis, debet humano modo procedere. Resp. id non ob stare quin per legem humano modo prolatam ad internos actus obstringat, quemadmodum per visibilia Sacramenta spiritales producit effectus. In cæteris, si quæ sunt alia, diluendis opera studiumque nostrum minime desideratur.

10.
Obijciunt ul-
timò & Sol-
vitur.

CAPUT XVI.

De iis, quorum interest ferre leges humanas, & eorum legibus obtemperare necessum est.

SUMMARIUM.

1. An potestates seculares possint statuere leges Ecclesiasticas. Propositio 1.
2. & 3. Propositio 2. Probatur.
4. 5. & 6. Propositio 3. Probatur.
7. S. Gregorius VII. defenditur.
8. Quomodo alii in hac materia intelligendi.
9. 10. & 11. Propositio 4. Probatur.
12. Illatum refutatur.

13. 14. 15. Propositio 5. Probatur.
16. Jurisdictio Regni & Imperii est in Summo Pontifice directe per se.
17. 18. 19. & 20. Solvuntur Objectiones.
21. & 22. Propositio 6. Probatur.
23. Propositio 7. Probatur.
24. Propositio 8. Probatur.
25. & 26. Solvuntur Objectiones.

An potestates seculares possint statuere leges Ecclesiasticas.

NONNULLA quidem de legum Auctoribus supra disserui: unde constat non nisi ad legitimos Superiores pertinere, ut Legem statuant. Quoniam vero nonnulli falso scripserunt summas Potestates, quarum nomine designant Imperatores, Reges, & quos appellat vulgus Magistratus, quod tamen

nomen potestatem inferiorem, designat, imperium tenere in res sacras, cui & Ecclesiastici viri subiecti sint, neque hi quacunque fulgeant in Ecclesia auctoritate, aliud munus jure exercere, quam declarandi ac suadendi, adversus hanc impietatem erroremque execrandum acuum stylum parumper, demonstrans quomodo Eccle-